

stanti metaphorice usurpare constat. Regnum Dei enim non est cibus & potus, ut proprio loquendo gustetur: juxta illud Rom. XIV, 17. adeoque gustare aut prægustare beatitudinem, est intelligentiam, experimentum aut fruitionem bonorum vitæ æternæ spiritualium mente aut animo antecapere: prout alias etiam in ipsa Scriptura τὸ γεύεσθαι, cum ad mentem refertur, idem est ac intelligere, experiri, frui. Vid. Flacius in Clave, & Glassius Reth. S. Tract. I. c. XII, 360. (1305.) Edoardus Leig in Criticis S. voce γεύεσθαι p. I. p. 84.

IX. Solet autem circa vocabula γεύεσθαι & γεύμα, quæ in sacris occurrunt, & latino, *gusto*, respondent, a Philologis observari, quod cum proprie accipiuntur, aliquando quidem denotent actum, quo rei sapidæ paululum sumitur, & lingua ac palato aut primis, quod ajunt, labris, qualitas aut sapor ejus tentatur: vid. Job. XII, n. Matib. XXVII, 34. quo posteriore loco, τὸ γεύεσθαι & bibere a se invicem distingvuntur; alias autem actum ipsum comedendi aut bibendi, quo cibus aut potus intime recipitur, & in succum ac sanguinem convertitur, significant. Vid. Prov. XXXI, 15. Act. X, 10. & Cap. XX, 11. Atque hac ratione quando verba ista ad actiones mentis significandas transferuntur, cumque degustu aut prægustu beatitudinis in hac vita sermo est, disquiri cœpit: utrum ipsa essentialis beatitudo, seu visio Dei beatifica, id est, clara & omnem speciem ac medium excludens, adque adeo immediata illa Divinæ essentiæ cognitio? an analogum quiddam & illustre signum ejus, in hac vita hominibus obtingat? Quorum illud τὸ γεύεσθαι, posteriore modo, hoc eidem, sensu priore accepto, vi metaphoricae locutionis respondeat? Sed priusquam de his agamus plenius, de Causis Efficientibus, & Impulsivis itemque Subjectis gustus aut prægustus illius, quædam præmittemus.

X. Causam efficientem principalem esse Deum optimum maximum, Patrem luminum, a quo omnis donatio bona & omne donum perfectum descendit: juxta Jac. I, 17. dubium esse non potest. Ille enim Creator, Restaurator & Salvator noster est, ille glorificat electos suos. Rom. VIII, 30. dat filiis suis regnum, Luk. XII, 32.